

Nunc quo facilius ante dicta intelligantur, exemplaris computatio subiicienda est: verum quando iuxta gradus elevationis poli non sunt minuta aliqua, operatio omnino similis erit ei, quam in quinto problemate exposuimus.

Sit itaq; eleuatio poli 47. graduum & 45. minutorum, ascensio autem obliqua pro *Exem-*  
posita 70. graduum & 36. minutorum, procedendo secundum medium quinti proble- *plum.*  
matis, inuenio 7. gradus & 26. ferme minuta Cancrī ad eleuationem poli 47. gradu-  
um: similiter ad eleuationem poli 48. graduum reperio 8. gradus & 21. minuta  
Cancrī.

Horum duorum arcuum eclipticæ differentia est 55. minuta, de quibus pars proportionalis secundum proportionem 45. minutorum ad 60. est 41. minuta fe-  
rè, quæ adiecta arcui eclipticæ ad 47. gradus reperto, conflant 8. gradus & 7. mi-  
nuta Cancrī, arcum scilicet eclipticæ quæsitum pro ascensione demum obliqua.

Breue exemplum accipe: offertur mihi descensio obliqua 97. graduum & 34.  
minutorum, cui correspondentem arcum eclipticæ iubeor inuestigare ad eleua-  
tionem poli 48. graduum. Adiungo memoratæ descensioni 180. gradus, & re-  
sultant 277 gradus & 34. minuta. hunc arcum tanquam ascensionem obliquam  
offendo in tabula 48. graduum iuxta 12. gradus Sagittarij, reiectisq; 6 signis com-  
munibus, perducor ad 12. gradus Geminorum, qui videlicet respondent oblatae  
descensioni.

## DECIMVM PROBLEMA.

*Ascensionem obliquam stellæ cuiuscunq; in Horizonte  
quolibet dinumerare.*

**H**ic nostro proposito seruiet tabula differentiarum ascensionalium, dum stel- *Vsus tabu-*  
la non pluribus quam 32. gradibus ab Aequatore remouetur. *lae diffe-*

In latere enim sinistro dictæ tabulæ vtriusq; partis tam borealis quam austra- *rentiarum*  
lis declinatio vsq; ad 32 gradus ponitur, quod nullus planetarum, quorum gratia *ascensio-*  
potissimum tabulam ipsam condidimus, tantam declinationem egredi solet. *nalium.*

In latere autem superiori transuerso ponuntur eleuationes poli septentrionalis,  
supra Horizontes regionum ac circulos positionum, vsq; ad 60. gradus.

Arca autem tabulæ differentias ascensionum complectitur.

Elevationem igitur poli quære in fronte tabulæ memoratæ, declinationem au-  
tem stellæ siue borealem siue australem in latere sinistro. Nam quod in angulo  
communi offendes, erit differentia ascensionum stellæ propositæ: quam demas ex  
ascensione recta stellæ superius inuenta, si declinatio stellæ borealis fuerit, aut eidem  
adiicias si australis extiterit. Sic enim vel relinquetur vel colligetur ascensio obliqua  
stellæ quam quærebas ad Horizontem propositum.

Quod si stellæ fixæ ampliorem quam 32. graduum declinationem habentis  
ascensionem obliquam computare libeat, intrabis tabellam secundam cum ele-  
uatione